

est sicut, si pes ab aeterno fuisset in pulvere, verum esset diceret: vestigium semper imprimitur, semper imprimitur, semper impressum est.

Inferes: ergo nullum fuisset discrimen inter creationem & conservationem. Prob. Illatio: Creatio differt a conservatione, quod creatio sit prima rei productio, conservatio autem sit illius productionis continuatio; atqui, si mundus semper fuit creatus, nunquam fuisset prima ejus productio: ergo.

R. N. Illationem. Ad probat. N. Maj. Nam creatio non in hoc differt a conservatione, quod creatio sit prima rei productio; sed in hoc, quod, quamvis utraque sit eadem actio (unde communiter dicitur quod conservatio sit continuata productio) attamen illa unica actio prout dicitur esse, dicitur creatio: prout vero continuat idem esse per durationem sive finitam sive infinitam, dicitur conservatio, quod discrimen stare, si mundus esset ab aeterno.

Obj. 3. Omnis causa debet esse prior suo effectu: ergo nullus effectus potest esse aeternus.

R. D. Maj. Omnis causa debet esse prior suo effectu prioritate nature, C. Prioritate temporis, N. Sic sol non est prior tempore suo radio, sed natura tantum, quamvis sit solis effectus. Amplior solutio patet ex dictis.

Inst. Salm causa libera debet esse prior tempore suo effectu; atqui Deus est causa libera mundi: ergo. Prob. Maj. Causa liberè agens, debet, priusquam agat, esse indifferens ad agendum & non agendum: ergo.

R. N. Maj. Ad probat. D. Ant. Causa liberè agens debet esse indifferens ad agendum & non agendum, priusquam agat prioritate nature, C. Prioritate temporis, N. Non ergo requiritur ad libertatem, præsertim perfectissimam, & actualissimam, qualis competit Deo, ut aliquo tempore ante actionem maneat suspensa & indeterminata: Apagè: Id prorsus repugnat summæ Dei perfectioni & actualitati; sed sufficit quod pro illo priori natura ad suam determinationem sit indifferens, ita ut sic se determinat & sic agat, quod poterit se non determinare, nec agere.

Obj. 4. Si mundus esset ab aeterno, Deus ab aeterno illum conservasset tota aeternitate: ergo tota aeternitate non fuisset annihilabilis; quod est contra rationem creaturæ, quæ est annihilabilis.

R. D. Consequens: ergo tota aeternitate non fuisset annihilabilis secundum se, N. Ex hypotesi quod Deus velit illam conservare, C. quod non est contra rationem creaturæ: sic v. gr. supposito quod Deus velit rem existere tali hora, non potest, facta hac hypotesi, illam rem tali hora destruere. Similiter, si Deus velit mundum esse ab aeterno, facta hac hypotesi, non potest illum destruere ab aeterno, poterit tamen post infinitam durationem annihilari in aliquo instanti temporis.

Obj. 5. S. Th. hic q. 46. art. 1. initio corporis dicit: Nilhil potest præter Deum ab aeterno fuisse: ergo.

R. licet sic legatur in aliquibus Editionibus, in aliis tamen, ut in Duacensis legitur: Nilhil oportet præter Deum ab aeterno fuisse: & sic legendum esse constat ex sequentibus ibid. dicit enim in ejusdem articuli corpore: Non esse necessarium Deum velle, quod mundus fuerit semper. Et postea: Non est igitur necessarium mundum semper fuisse.

Solvuntur objectiones contra 3. Conclusionem.

Obj. 1. S. Th. hic q. 46. art. 2. & 3. de potent. art. 148. docet, mundum potuisse esse ab aeterno: ergo.

R. D. Ant. Docet, mundum potuisse esse ab aeterno quantum ad aliqua, scilicet permanentia, C. Quantum ad omnia etiam successiva, N.

Inst. Etiam quoad successiva. Prob. Ant. S. Th. tenet mundum fuisse ab aeterno eo modo quo, tenuit Aristoteles; atqui Aristoteles tenuit mundum esse ab aeterno, etiam quoad successiva: ergo. Prob. Maj. S. Th. præsertim hic solvit rationes eorum, qui contra Aristotelem contendebant mundum non esse ab aeterno: ergo. R. 1. N. Ant. Ad probat. N. Maj. Ad probat. N. Ant. universaliter sumptum. Non enim solvit ultimum argumentum de infinitate animarum, si darentur generationes hominum ab aeterno, sed insolutum relinquit, & sic concludit: Considerandum tamen est, quod hæc ratio particularis est: unde posset dicere aliquis, quod mundus fuit aeternus, vel saltem aliqua creatura, ut Angelus, non autem homo: Nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno. Ex quo patet mentem S. Thomæ non esse, quod Angelus, quod fatemur; & alia non potuisse, scilicet successiva, ut sunt generationes hominum, in quo recedit ab Aristotele. R. 2. D. ultimum Ant. Solvit rationes eorum, qui contra Aristotelem contendebant mundum non potuisse esse ab aeterno, ut non plene demonstrativas, C. ut minus probabiles, N. Ratio solutionis est: quia S. Th. in hac parte agit contra quosdam sui temporis Philosophos, qui con-

tendebant posse independentè a revelatione rationibus naturalibus evidentè demonstrari Infidelibus mundum non fuisse ab aeterno, sed incepisse in tempore; quibus contradicit S. Doctor, docendo in hoc articulo, mundi creationem factam in tempore esse tantum credibilem, & non evidentè demonstrabilem. Et hoc utile est ut demonstraretur, inquit in fine corp. ne forte aliquis, quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere, quæ fidei sunt. Nos vero non contendimus, rationes nostras esse demonstrativas, sed tantum probabiles & oppositis probabiliores: unde nihil contra nos ex D. Th.

Obj. 2. Potuit produci ab aeterno ignis applicatus stupæ; atqui ignis applicatus stupæ statim illam combureret: ergo. Prob. Min. Nihil deest ad combustionem: ergo. R. N. Min. Ad Prob. D. Ant. Nihil deest ad combustionem in tempore, C. Ad combustionem ab aeterno, N. Non itaque ille ignis combureret stupam nisi post durationem infinitam; tum quia pars motus, quacum ignis ille crearet, deberet durare duratione infinita sine transitu & destititione, sique non esset motus, sed res permanens; tum quia stupæ ab aeterno creata & ab aeterno conservata non posset ab aeterno comburi & corrumpi, aliis ab aeterno foret & non foret. Potuisset ergo stupæ comburi prius, & prius in infinitum sinecategoricè.

Inst. Si sol ab aeterno esset, ab aeterno illuminaret: ergo similiter, si ignis ab aeterno esset applicatus stupæ, ab aeterno illum combureret. R. N. Conseq. Disparitas est, quod illuminatio sit motus instantaneus, combustio vero successiva.

Obj. 3. Homo potuit esse ab aeterno: ergo & motus cordis. Patet Conseq. Quia motus cordis est necessarius homini. R. omnia Maj. quam ex principiis positus non tenemur admittere, supposito quod homo necessarius motum cordis involvat, N. Conseq. Ad Prob. D. Ant. Motus cordis est necessarius homini ad vitam qualem nunc habemus, C. Qualem tunc habuisset homo, N. Si namque Deus decrevisset create hominem ab aeterno, illum fecisset talem qualem exigit iste status, liberum scilicet a defectibus qui aeternitati repugnant, qualis est alteratio, & motus cordis. Neque est quod mireris; simile quid enim contingit naturaliter: sic respiratio non est minus necessaria homini, quam motus cordis; & tamen infans in utero matris vivit absque respiracione, quia huic statui non convenit.

Obj. 4. Motus & tempus possunt esse aeterna a parte post: ergo a parte ante. R. N. Conseq. Disparitas est, quod aeternum a parte post non sit aeternum duratione infinita actu, sed potentia tantum & sinecategoricè; aeternum autem a parte ante foret aeternum duratione infinita actu & categoricè.

ARTICULUS VII.

Quò anni tempore mundus fuerit creatus?

Plures, præsertim Recentiores, non improbabiler censent mundum incepisse ab Autumno: attamen Dico: Probabilis est, mundum fuisse conditum verno tempore, seu mense Martio.

Cum de hoc facto Scriptura sileat, non nisi Traditione, & quibusdam congruentiis probari potest. Itaque Prob. ex communis sententia SS. Patrum, sic enim tenent Ambrosius L. 1. in Hexameron, Cyrillus Jerosol. Catech. 14. Gregorius Nazianz. Orat. de Nativit. Domini, Theodoretus q. 12. in Exod. Leo Magnus Serm. de Pass. Damascentus l. 2. cap. 5. & alii plures, qui verisimiliter id acceperunt per Traditionem.

Suadet congruentiis. 1. Congruum erat, ut primus & secundus Adam, scilicet Christus eodem tempore formarentur, eodemque tempore mundus repararetur, quo fuit conditus; Christus autem tempore verno conceptus fuit, & passione sua mundum redemit. 2. Congruum erat, ut mundus inciperet tempore totius anni amoenissimo, & plantarum germinationi aptissimo; unde dicitur: Germinet terra herbam viventem: hoc autem est Ver, & non Autumnus, non enim in Autumno herbe vivescunt, sed marcescunt.

Dices 1. Initio mundi fructus arborum erant maturi; atqui non sunt maturi Vere, sed Autumno: ergo. R. in Regionibus calidioribus, qualis est Palestina, multos arborum fructus esse maturos tempore verno; constat enim ex Levit. 4. Israëlitis mandatum fuisse offerre manipulum spicarum secundo die azimorum, qui celebrabatur Vere. Ex Exod. decimo tertio mensis, in quo egressi sunt de Aegypto, qui erat etiam Martius, conformiter ad festum Azymorum dicitur mensis novarum frugum.

Dices 2. Hebræi debebant initium anni ab Autumno, quod verisimile est eos accepisse a Patribus suis, & hos ab Adamo: ergo. Prob. Ant. Festum Tabernaculorum, quod celebrabatur mense, qui postea dicitur est septimus, & correspondet partim nostro Septembri, partim Octobri, dicitur Exod. 23. celebrari

in exitu anni, quando congregatae sunt omnes fruges de agro, si autem tunc erat exitus anni, erat consequenter initium sequentis: ergo. Item Exod. 12. ubi agitur de mense destinato ad immolationem agni, qui erat Martius, sic statuit Moyses: Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni: ergo antea non erat, alioquin inutile fuisset statuere, ut deinceps esset primus. R. nullo argumento posse probari, Hebræos, antequam descenderent in Aegyptum, suos annos ab Autumno computasse. Equidem verum est, quod, ex quo fuerunt in Aegypto, secuti sunt consuetudinem Aegyptiorum, qui sic annos suos computabant, etiamque consuetudinem, postquam egressi sunt de Aegypto, retinuerunt quoad annos civiles, mundationibus, & contractibus servientes; sed quantum ad res sacras, eos Moyses revocavit ad primariam computationem a Verno tempore, ut patet ex cap. 12. etiam citato ibidem, ubi mensis qui dicitur Exitus anni, postea dicitur esse septimus.

Si quaera, quæ de causa Aegyptii, & alii populi Orientales initium anni ducebant ab Autumno? R. quia id tempus erat commodius agricolis, & pecuariis, quales erant ferè omnes, ad Contractus civiles: Collectis enim frugibus, eisque venditis, at-

que inde collectis pecuniis, commodè contractus venditionum, locationum, emptionum, & alios celebrabant.

Inst. Mensis, quo incepit diluivium, dicitur secundum Gen. cap. 7.; atqui secundum Josephum l. 1. Antiquit. incepit diluivium in Autumno, ergo. R. ad Min. ita quidem sentit Josephum, sed S. Ambros. l. 1. de Arca cap. 14. Rupertus l. 4. in Genes. cap. 25. & alii docent, diluivium incepisse verno, & mensem secundum fuisse, qui Majo nostro saltem quoad posteriorem suam partem respondet, non Octobrem, qui Exod. 24. dicitur septimus. Hancque rationem afferunt, ut scilicet Deus manifestè ostendat aquas diluvii non esse naturales ex imbribus, sive Autumnalibus, sive Hiemalibus, sed ex speciali Dei providentia, in majorem vindictam peccatorum, quos exterminare voluit tempore anni amoenissimo, quo non nisi prospera, & læta expectabant.

Petes, a quo tempore mundus sit conditus? R. numerando secundum communiorum nunc Sententiam annos 4000. a creatione mundi ad Nativitatem Christi, dicendum est, a mundo condito effluxisse annos 5755. annos, cum hæc scribimus.

DISSERTATIO II.

DE SEX DIEBUS CREATIONIS MUNDI, NECNON DE REBUS, quæ in unoquoque die creatæ sunt.

ARTICULUS I.

Utrum sex dies creationis sint reales?

Moyses cap. 1. Genes. narrat, Deum sex dierum spatio mundum creasse: Questio est, quomodo isti dies sint intelligendi in realiter pro spatio 24. horarum, an figuratè pro diversis cognitionibus Angelorum?

Augustinus, in Libris de Gen. ad Lit. eos accipit figuratè secundum diversas cognitiones Angelorum, diversitate petita non ex parte cognitionis, sed ex parte objectorum, docetque S. Doctor, Deum mundum uno die, imò uno instanti creasse. Tum dividit omnes res creatas in sex genera juxta sex dies numeratos a Moysè, quorum Deus cognitionem impressit menti Angelicæ: Angelus autem cognovit primum genus rerum in semetipsis; & vocat Aug. hanc cognitionem vespertinam: deinde cognovit in Verbo; & hanc cognitionem vocat matutinam; quia res clarius cognoscuntur in Verbo, quam in seipsis; atque, inquit, sic factum est vespere, et mane dies unus; & sic de cæteris.

Verum intelligit, quædam tantum secundum speciem esse actu producta uno die, scilicet coelum, terram, solem, lunam, firmamentum, & alia; si quæ sint facta ex nihilo; cætera autem, quæ sunt ex materia præjacente, ut herbas, animalia, hominem quoad corpus, &c. eodem die facta esse, non quidem secundum speciem actu distincta, sed tantum in semine, seu potentia; vel ut alii dicunt, secundum substantiam. Quatenus vero distincta sunt secundum speciem, producta esse postea decursu temporis, sicut ea, quæ Deus quotidie nunc producit. Sola ergo facta ex nihilo, & alia facta in semine seu potentia intelligenda sunt, in Sententia Aug. secundum dies invisibiles, seu cognitiones Angelorum: facta autem ex materia secundum speciem intelligenda sunt secundum dies naturales extra sex dies assignatos a Moysè. Vide D. Th. hic q. 74. art. 2. cum Commentariis Cajetani, & Berti l. 11. cap. 2.

Cæteri, quamvis hæc Sententia videatur esse Augustini in libris cit. de Gen. ad Lit. non constat tamen illum in ea firmiter stetitisse, partim quia l. 2. retract. cap. 14. dicit, quod in Libris de Gen. ad lit. plura quaerita, quam inventa sunt, & eorum, quæ inventa sunt, pauca a firmata. Partim, & præcipue lib. de catech. rudibus cap. 17. postquam dixisse Deum sex diebus coelum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, creasse, addit: Poterat enim omnipotens, & uno momento temporis omnia facere. Quibus verbis aperte significat Deum quidem potuisse uno instanti omnia facere, voluisse tamen sex diebus realibus facere, & septimo requiescere.

Cæteri autem SS. Patres communiter intelligunt sex dies naturales. Quantum ad S. Th. neutram Sententiam improbat hic art. 2. quem sic concludit: Ut igitur neutri Sententia præjacta dicitur, utriusque rationibus respondendum est. Et q. 4. de Pot. art. 2. dicit, Sententiam Aug. esse subtiliorem, aliorum vero Saneiorum esse plavorem, & verbis Literæ, saltem quantum ad superficiem, magis conformem, neutram tamen a verbis fidei discordare. His notatis,

Dico: Sex dies creationis mundi sunt reales viginti quatuor

horarum. Prob. 1. ex contextu Scripturæ. Genes. 1. Moyses narrat Deum sex diebus fecisse coelum, & terram, solem, &c. atqui per coelum intelligitur, quod hoc nomen proprie, & communiter significat, nempe verum, & reale coelum; per terram vera, & realis terra; per solem verus, & realis sol: ergo per sex dies diversos dies veri, & naturales. A pari; vel adferant Adversarii rationem disparitatis.

Confirm. 1. Scriptura sacra debet intelligi in sensu proprio, & literali, si inde non sequatur absurdum; atqui sex dies diversos expressè numerat Scriptura; & si intelligantur sex dies naturales, nullum sequitur absurdum: ergo. Respondet Berti, explicationem Aug. esse litteralem, non figuratam, & mysticam. Sed contra. Consultat Scriptor Augustinianus omnia vocabularia seu Dictionaria, in quibus habetur literalis, & propria significatio verborum; fallor, si in aliquo reperiat diem significare proprie, & literaliter cognitionem Angelicam. Equidem S. Th. hic q. 67. art. 1. ubi dicit, hoc vocabulum Lux secundum positionem dici tantum proprie de corporalibus, concedit quod, secundum usum communem, dicitur etiam proprie de spiritualibus; at neque ipse, neque ullus alius, ut puto, dixit diem secundum usum communem dici proprie, & literaliter de cognitione angelica. Neque obstat, quod refert Berti ex Aug. l. 4. de Genes. ad Lit. cap. 8. in quo S. Doct. dicit: Ubi ergo melior & certior lux, ibi etiam verior dies: Verus quidem dies, quia perfectione excedit diem naturalem, at non proprius dies. Sicut Joann. 15. Christus dicitur vitis vera, quatenus nobilitas influit in palmites suos homines, quam vitis naturalis; at non ideo est vitis propria. Confirm. 2. Moyses contextit historiam creationis mundi principaliter pro Populo Judaico: ergo verisimile est, quod per sex dies intellexit, non cognitiones angelicas, quæ a Populo rudi, & simplici intelligi non poterant, sed dies naturales, qui faciliè intelliguntur: sicut per coelum, & terram intellexit coelum naturale, & terram naturalem, ut jam dictum est.

Prob. 2. Deus Exod. 20. condens legem de observando Sabbatho, hanc rationem adfert: Sex enim diebus fecit Deus coelum, & terram & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit die septimo; quasi diceret: sicut Deus sex diebus operatus est, & septimo cessavit ab opere; sic vobis permittitur operari sex diebus, sed septimo debetis ab operibus cessare; atqui hæc ratio nullius foret ponderis, si non sex diebus naturalibus, sed uno tantum Deo omnia creasset; quæ enim consecutio: Sicut Deus uno die operatus est, sic vos sex diebus poteritis operari; & sicut secundo die naturali cessavit ab opere, sic vos septimo die debetis cessare ab opere?

Respondet Berti, quod, quemadmodum Sabbathum, & requies; quæ Deus cessavit a creatione universi, longè differt a Sabbatho, & requie, in qua Hebræi cessant ab omni opere servili; ita sex dies, quibus mundum Deus molitur est, discrepant a diebus hebdomadalibus, de quibus legitur in Exodo: sex diebus factis est opus. Sed contra: 1. Hac responsione non solvitur argumentum, sed firmatur; hoc ipso enim quo non intelligitur dies creationis proprie, & naturaliter, nulla est ratio Scripturæ in permitendis operibus sex diebus, & in prohibendis septima die: 2. Sabbathum, seu requies, tam in Deo, quam in homi-



ne eodem modo sumitur, nempe pro cessatione ab opere, sive processerit labor aut defatigatio, sive non: ergo etiam sex dies debent eodem modo sumi tam in Deo, quam in homine pro sex diebus hebdomadalibus. Vide Auctorem infra q. 73. art. 2.

Obj. 3. Juxta communem Patrum, & Ecclesie sensum, Mundus incepit die Dominice: unde Ecclesia in Hymno ad matutinum diei Dominice cantat: *Primo die omnium quo mundus extat conditus, vel quo resurgens conditor, nos morte victa liberat.* Si ergo Deus omnia uno die creavit, requievit ab omni suo opere feria 2. & non Sabbato, seu die septima, quod est contra Scripturam.

Obj. 4. ab inconvenientibus. Si Deus omnia uno die, imò uno instanti creavit, simul fuerunt lux, & tenebræ, aquæ simul confusæ, & divisæ, & terra aquis simul cooperta, & disco-operta, &c.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cum Laurentio Berti. Postquam Moyses cap. 1. Genes. feram aspectabilium creationem sex diebus peractam esse narravit, cap. 2. dicit: *Istæ sunt generationes cæli & terre, quando creati sunt in die, quo fecit Dominus cælum & terram, & virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, antequam germinaret:* ergo omnes generationes, a Moysè superius enarratæ, spectant ad unum eundemque diem, neque spatium temporis interit inter diem primam, in qua creavit Deus cælum & terram, & diem tertiam, in qua fuerunt producta germina, & ligna. R. N. Conseq. 1. Quia per diem in textu citato intelligitur tempus, secundum usum non infrequenter Scripturæ, ut cum Num. 7. dicitur: *Hæc in Dedicatione Altaris oblata sunt a Principibus Israel in die, qua consecratum est;* ubi ponitur pro tempore; siquidem ex capite præcedenti constat hæc oblata fuisse, non una die, sed 12. diebus, secundum numerum Tribuum Israel; atque per hoc evanescit instantia Berti, qui dicit, quod apud Hebræos, cum dies designat tempus, ponatur in plurali numero, cujus contrarium hic patet. 2. Quia, dato per diem cap. 2. Genes. intelligi verum propriumque diem, & non tempus ex pluribus diebus conflatum, sensus est, quod Deus hæc die fecerit virgultum, & herbam in semine, & quoad substantiam, & non quoad speciem distinctam; unde dicitur virgultum antequam oriretur, & herba antequam germinaret; una enim die Deus creavit omnem substantiam visibilem, & corpoream, ex qua sequentibus diebus astra, plantas, & alia formavit. Hæc solutio est S. Gregorii l. 32. moral.

Obj. 2. cum eodem. Solem Deus condidit quarta die; atqui ex luce solis dies naturalis constituitur: ergo tres dies prioris non fuerunt naturales. R. D. Maj. (Q. 67. art. 4. ad 3. et q. 70. art. 1. ad 1.) Solem Deus condidit 4. die quoad perfectiones accidentales, C. Quoad essentialia, N. Et ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Itaque lux prima die creata erat lux solis, sed informis, & imperfecta ad modum auroræ, seu crepusculi; quæ tamen motu suo circulari cum corpore celestium distincta diem ac noctem. Quarta autem die aucta est, & perfecta lux solis, eique collata est virtus ad proprios effectus, secundum quod vicimus alios esse effectus radiorum Solis, alios radiorum Lunæ. Item eadem 4. die Sol, & alia luminaria posita sunt in signa, & tempora, & dies, & annos. Pro quo

Observandum est, quod est duplex motus in cælo: unus communis toti cælo, qui facit diem, ac noctem, & iste videtur institutus prima die; alius (Ibid. q. 67. et q. 70. art. 2. ad 2.) autem est, qui diversificatur per diversa corpora; secundum quos motus sit diversitas dierum ad invicem, & mensium, & annorum, puta, quatenus dies est calidior die, annus anno, tempore. Et ideo prima die fit mentio de sola distinctione noctis, & diei, quæ fit per motum communem cæli. Quarta autem die fit insuper mentio de diversitate dierum, & annorum, & temporum, cum dicitur: *Et cuncti in tempora, et dies, et annos;* quæ quidem diversitas fit per motus proprios.

Inst. Dicitur quarta die: *Fiant luminaria in firmamento cæli, et dividant diem, ac noctem:* ergo antea non dividebant. R. D. Conseq. ergo antea non dividebant tam clare, & perfecte, C. Absolutè, N. Cum itaque quarta die sit aucta, & perfecta lux luminarium celestium, perfectius dividerent diem, ac noctem, ideo conjungitur hic effectus cum aliis novis effectibus, ex motu cuique proprio causatis.

Obj. 3. cum eodem illud vulgatissimum Eccl. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul:* ergo non plurium dierum intervallo. R. N. Conseq. quia T. simul hic non significat si multam em temporis, sed communiter, pariter, æque; ita ut sensus sit, quod Deus creaverit omnia pariter nullo excepto, quod Joann. 1. exprimitur his verbis: *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Hæc interpretatio fundatur tum in textu greco, in quo vox *Koini*, pro qua Vulgata habet *Simul*, significat communiter, & pariter; tum in usu Scripturæ, quæ

non infrequenter usurpat *simul* pro communiter, & pariter: sic Ps. 48. *simul*, id est, pariter, *insipiens, et stultus peribunt.* Ps. 18. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt:* & alibi sæpè; sive quia spatium sex dierum attenta tanta multitudine & dignitate rerum productarum potest accipi pro uno temporis puncto: sive tandem, juxta S. Gregorium jam citatum, Deus simul, seu una die creavit omnia in semine, & quoad substantiam, non quantum ad species distinctas; quia prima die universam corporalem substantiam creavit, ex qua sequentibus diebus produxit plantas, animalia, &c.

Instat Berti contra 1. explicationem. Theologi ut plurimum probant, Angelos esse prima die creatos, ex cap. Firmiter de summ. Trinit. ubi dicitur, Deum simul ab initio temporis utramque ex nihilo condidisse naturam spirituales, et corporales, Angelicam videlicet, et mundanam: ergo similiter verba Eccl. creavit omnia simul probant omnia eadem die creasse. R. N. Conseq. Disparitas est, quod simul junctum ab initio temporis in cap. Firmiter significet primam diem, non verò simul simpliciter positum in textu Scripturæ.

Obj. 4. Job. 40. dicitur: *Ecce Behemot, quem feci tecum.* Per Behemot intelligitur Diabolus: ergo diabolus, & homines facti sunt eadem die. Subsumo; atqui Diabolus factus est prima die, homo sexta: ergo prima & sexta dies sunt una dies. R. 1. Behemot juxta 70. Interpretes significare Bestias; unde vertunt: *Ecce Bestias apud te.* Cum autem ibi sit sermo de aliqua Bestia in particulari, communiter intelligitur Elephas, qui ibidem dicitur, *Principium viarum Domini*, id est, habens aliquem Principatum seu primatum inter alias Bestias ob corporis proceritatem, fortitudinem, & docilitatem, quo sensu Jacobi 1. de nobis dicitur: *Ut simul initium aliquod creature ejus*, id est, ut excellentiam aliquam obtineamus inter ejus creaturas. Bestia autem & homo fuerunt creati eadem die, scilicet sexta. R. 2. Dato per Behemot intelligi mysticè Diabolum, sensus est quem feci tecum, id est, eodem ferme tempore: Tecum enim non importat necessariò omnimodam similitudinem, sed potest significare similitudinem istius spatii sex dierum, juxta quod Deus omnia creavit, ita ut sensus sit Diabolum fuisse creatum cum homine; quia non diu ante illum fuit creatus, sed in eodem illo spatio sex dierum, quo Deus omnia creavit. Posset etiam dici sensum esse: *Quem fecit æque ac te.* unde Vatablus vertit: *Ecce queso te, ut Elephas, quem æque ac te condidi.*

Quædam alia obijci possent, quæ ex dicendis circa opera singulorum dierum solvantur.

ARTICULUS III.

De opere primæ diei.

Opus primæ diei sic narrat Moyses Genes. cap. 1. *In principio creavit Deus cælum et terram. Terra autem erat inanis, et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi; et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixit Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona; et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem, diem, et tenebras, noctem; factum est vespere, et mane, dies unus.* Constat ergo ex hoc textu, cælum, terram, aquas, & lucem prima die esse creatam.

Petes 1. Quid nomine cæli, & terre intelligatur? R. nomine cæli, juxta plures tum Patres, cum Interpretes, intelligi solum cælum supremum seu empyreum cum omnibus suis ornamentis, ut esse sedes Angelorum eodem die creatorum, & cæterorum Beatorum. Juxta alios, cum cælo empyreo intelliguntur omnes orbis celestes, informes tamen, & imperfecti, imò & ipse aer, qui pluries in Scripturis dicitur cælum, ut dicam infra. Utraque sententia, salvo Scripturæ sensu, sustineri potest. Nomine terre intelligitur ipsa terra informis, & vacua, aquis involata, cum duobus aliis elementis igne, & aere, si aere non intelligatur nomine cæli, juxta illud Exod. 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum et terram, et omnia, quæ in eis sunt:* nullus autem ex sex diebus præter primum convenientior est creationis aeris, & ignis, qui sunt rerum primordia, & elementa.

Petes 2. Quid intelligatur nomine Spiritus, qui ferebatur super aquas? R. secundum quosdam erat ventus validus aquas commovens. Secundum alios erat vis quædam vitalis, qua omnia sensibilia producerentur. Secundum alios, & communius, erat Spiritus sanctus, qui ferebatur super aquas, non loco aut motu, sed præcellente potentia; sicut, inquit Aug. l. 1. de Genes. ad litt. cap. 7. *Voluntas, et idea artificis superferunt rebus fabricandis.* Hac ergo potentia, & voluntate aquis, & terre incubabat Spiritus sanctus, eisque vim prolificam conferebat, ut animalia, & gramina producerent.

Petes 3. Quid intelligatur nomine lucis? R. intelligi omnia corpora lucida, solem scilicet, planetas, & stellas, informia, & imperfecta, quæ Deus quarta die distinctis, & perfecit, ut dicemus ost articulo præcedente.

Petes 4. Quid intelligatur per hanc Dei vocem, *Fiat lux?* R.

R. non intelligi sonum articulatam, seu verbum oris, quod fuisset prorsus inutile; sed verbum mentis, non notionale, sed essentialia & commune tribus Personis, quo Deus concepit, decrevit, imperavit, & imperando re ipsa lucem produxit. Similiter de aliis creatis.

Angelos etiam prima die fuisse creatos sub nomine cæli vel lucis; & quare Moyses eorum creationem aperte non expresserit, dixi in Tract. de Angelis Diss. 1. Art. 2.

ARTICULUS III.

De opere secundæ diei.

Sic opus secundæ diei refertur ibidem: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita: Vocavitque Deus firmamentum, Cælum; & factum est vespere & mane, dies secundus.*

Dificultas est, quid intelligatur nomine Firmamenti, consequenter in quo loco sunt aquæ, quæ dicuntur esse super firmamentum.

Dico: Secundum probabilem plurium sententiam; firmamentum est cælum sydereum, seu in quo sunt stelle fixæ. Hujus sententiæ probabilitas patet ex objectionibus infra subjicientibus. Secundum verò communiori sententiam, firmamentum est totum illud spatium, quod a terra extenditur usquequæ acies oculorum pertingere potest, comprehendens consequenter ætherem, & omnes orbis celestes cum cælo sydereo. Hanc interpretationem laude dignissimam judicat Aug. l. 2. de Genes. ad litt. cap. 4. lib. autem imperfecto de Genes. cap. 12. significat totam ætherem substantiam, quæ ætherem & superiora corpora comprehendit, vocari firmamentum.

Eam S. Th. hic q. 68. art. 1. & 2. non rejicit, quin imò q. 70. art. 1. ad 3. dicit, per firmamentum intelligi tum spatium, in quo est aer, tum spatium illud, in quo sunt sydera; Firmamentum, inquit, factum est 2. die, quantum ad inferioriorem partem. In firmamento autem posita sunt sydera 4. die quantum ad superiorem partem, ut totum pro uno accipiatur, secundum quod sensu apparet. Favet huic interpretationi 1. Textus Hebraicus, qui vocat expansionem, quod Vulgata dicit Firmamentum. 2. Quia Deus hoc firmamentum vocavit cælum; Celi autem nomine, juxta usum frequentem Scripturæ intelliguntur orbis celestes, & ipse aer: Hinc Ps. 8. *Volucres cæli.* Jerem. 8. *Milvus in cælo:* & alibi similiter.

Juxta 1. Sententiam aquæ, quæ dicuntur supra firmamentum, sunt supra cælum sydereum; nec videntur ejusdem speciei cum aquis elementaribus, inquit S. Th. hic 68. art. 3. Ad quem autem usum sit illic positæ, vix dici potest, nisi forte ad ornamentum mundi, vel ad temperandum ardorem sydereum, & solis, ne cælis superioribus & inferioribus & terre nimio suo calore noceant. Juxta 2. Sententiam, aquæ istæ sunt in media regione aeris ejusdem speciei cum elementaribus, scilicet vapores, qui in nubibus concreverunt, & in pluviam resolvuntur.

Dices 1. contra 2. Sententiam, quam ut communior, & etiam nobis probabilior proponimus: Vox *fiat* non significat deputationem rei antea factæ, scilicet mediæ regionis aeris ad dividendum aquas ab aquis; sed significat realem rei quæ inbetur productionem, ut cum dicitur: *fiat lux;* atqui hic pariter dicitur: *fiat firmamentum:* ergo. R. D. Maj. Vox *fiat* simpliciter posita non significat, &c. transeat Maj. Vox *fiat* cum addito modificante, N. Maj. Hic autem non dicitur simpliciter *fiat firmamentum*, sed cum addito: *fiat firmamentum in medio aquarum;* quatenus constitutus est limes firmus inter aquas superiores & inferiores, datumque est illi, ut esset locus naturalis generationis aquarum pluvialium, illasque posset continere usque ad tempus, quo defluunt in terram.

Nec obstat, quod aquæ superiores in hæc inferiora defluentes cum aquis inferioribus misceantur; non enim sic defluunt & miscentur, quin adhuc in superioribus remaneant & ea abundantia, ut inter eas & superiores semper aer remaneat medius.

Dices 2. Quarta die Deus fecit luminaria magna, & ea posuit in firmamento; atqui non posuit in aere: ergo. R. 1. neque Solem & Lunam posuisse in cælo sydereo. 2. Per firmamentum non intelligitur solus aer, sed etiam omnes orbis celestes visu attingibiles, ut diximus, & ideo posuit duo luminaria in firmamento secundum partem ejus superiorem; aquas autem secundum partem inferiorem.

Dices 3. Volatilia, quæ sunt in aere Genes. 1. v. 20. dicuntur esse sub firmamento cæli: ergo aer non est firmamentum cæli. R. N. Conseq. Quia esse sub firmamento cæli idem est, ac esse in aliqua firmamenti parte inferiori: sicut dicimus pisces esse sub aquis, aut homines natate sub aquis, quia aliquas partes aquæ super se habent, licet etiam partes aliquas habeant Theol. Biliart. Pars Prima.

sub se, nec fundum aquæ attingant: ut enim aliquid dicatur esse sub vasto corpore, non est necesse, quod istud ei emineat secundum omnes suas partes; sed sufficit, quod secundum aliquas, ut patet in exemplis citatis.

ARTICULUS IV.

De opere tertiæ diei.

Opus tertiæ diei sic proponitur ibidem. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum, & appareat arida: Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellavit Mariam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum promiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque semen in secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane, dies tertius.*

Petes 1. in quem Terræ locum poterint congregari aquæ? Terra enim prius undique erat aquis cooperta, ut dicitur est. Non erat ergo aliquis locus super terram, in quem aquæ congregari possent. R. (Q. 69. art. 1. ad 2.) id triplici modo fieri potuisse. 1. Quatenus aquæ in majorem altitudinem sint elevatae in loco ubi sunt: nam mare secundum plures est altius terra. 2. Quatenus aqua rarior velut nebula terram tegebatur, quæ congregatione densata minorem occupavit locum. 3. Quatenus factæ sunt quædam concavitates in terra, quæ aquas receiverunt.

Petes 2. Quomodo aquæ congregatæ sunt in unum locum, cum constet esse in multis locis? R. (Ibid. ad 3.) id intelligendum esse, vel quatenus aquæ omnes habent unum terminum, scilicet mare, in quem conflunt manifestis aut occultis viis, juxta illud Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare.* Vel quatenus unus locus non accipitur simpliciter & strictè, sed unus dicitur per comparisonem ad locum terræ sicca; ut sit sensus: congregentur aquæ in aliquem locum diversum ab eo, quem hactenus cum terra occupant. Vel denique quatenus unus locus non sumitur determinatè, sed confusè, ac si diceretur: singulæ congregationes aquarum congregentur in aliquem locum a loco terræ diversum, unaquæque in suum: non est ergo sensus, quod omnium aquarum sit unus locus, sed quod singulæ congregationes habeant unum suum locum.

Petes 3. Utrum herbe & arbores fuerint tertio die productæ actu & adultæ; an tantum causaliter & in semine? Hoc ultimum tenet Augustinus l. 1. de Genes. ad Litt. cap. 4. Verum R. (Ibid. ad 3. a.) ex communi aliorum Patrum & Interpretum Sententia, herbas & arbores fuisse tertio die productas actu adultas, & quasdam saltè cum fructibus maturis. Apertè favet huic Sententiæ textus Scripturæ, ubi, postquam Deus jus sit terram germinare herbam virentem, & lignum promiferum faciens fructus, protinus additur. *Et factum est ita. Et protulit terram herbam virentem... lignumque faciens fructum.*

Dices: Genes. cap. 2. dicitur, quod Deus fecerit *omne virgultum agri, antequam oriretur de terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret;* atqui, si virgultum factum sit antequam oriretur, & herba facta antequam germinaret: ergo tertia die, qua dicuntur creatæ, in semine tantum & causaliter creatæ sunt. Quod confirmatur ex ratione subjuncta: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, et homo non erat, qui operaretur terram.* Expectabant scilicet semina, ut germinarent, cœli pluviam, & culturam hominis. R. N. Sequelam Min. & ejus confirmationem; quia sensus Scripturæ est, quod virgultum factum sit, antequam vi & modo naturali ex semine oriretur, ut fit modo coadjuvante pluvia & hominis labore, similiter herba.

Petes 4. Utrum eadem die tertia germinaverit spinas & tribulos? Videtur, quod non; quia cap. 3. Genes. dicit Deus Ade post ejus peccatum: *spinas et tribulos germinabit tibi.* R. (Ibid. ad 2.) Spinæ & tribulos tertia die fuisse productos, non secus ac alia virgulta, sed non in peccati peccati, sicut fietum est post peccatum Ade: unde non est illi dictum simpliciter *germinabit*, sed *germinabit tibi:* neque enim ager, qui ante peccatum excoltus fuisset in cibum, spinas & tribulos germinasset, fuissent tamen & erant in aliis locis ad ornamentum Universi, sive ad varias utilitates vel hominum vel bestiarum. Idem dic de herbis venenosis.

Petes 5. an marmora & metalla, seu mineralia, in visceribus terræ latentia, fuerint etiam producta tertia die? R. (Ibid. ad 3.) verisimiliter affirmative. Horum autem non meminit Moyses, tum quia ea tantum proposuit, quæ in manifesto apparent; mineralia autem habent generationem occultam; tum quia non habent manifestam distinctionem a terra, sed quædam terræ species videntur.



ARTICULUS V.

De opere quartæ diei.

Opus quartæ diei sic describitur ibidem: Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos...

Jam dixi art. 1. hujus Diss. Obj. 2. Solem & Sydera nomine lucis creata fuisse prima die quoad substantiam; sed hac quarta die perfectionem, & complementum tam quoad lucem, quam quoad alios effectus, & influentia accepisse: & ideo dicuntur facta quarta die, juxta usum frequentem Scripturæ, quæ res aliqua dicitur fieri, quando vel suum complementum, vel insignis perfectio illi accidit.

Dicuntur autem, luminaria esse in signa, scilicet prognostica aeris mutationum & tempestatum; ita ut sensus sit; in signa temporum, dierum, & annorum, quatenus ex diversis qualitatibus & influentiis illorum procedunt diversis temporibus, diebus, & annis, æstus, frigora, serenitas, pluvie, grandines, nubes, venti, hiems, æstas, ver, autumnus; atque inde dignoscitur tempus serendi, plantandi, metendi, navigandi, & similia, quod indicatur Matth. 16. his verbis: facta vespere dicitis: serenum erit, rubicundum est enim caelum.

Dicuntur autem, luminaria esse in signa, scilicet prognostica aeris mutationum & tempestatum; ita ut sensus sit; in signa temporum, dierum, & annorum, quatenus ex diversis qualitatibus & influentiis illorum procedunt diversis temporibus, diebus, & annis, æstus, frigora, serenitas, pluvie, grandines, nubes, venti, hiems, æstas, ver, autumnus; atque inde dignoscitur tempus serendi, plantandi, metendi, navigandi, & similia, quod indicatur Matth. 16. his verbis: facta vespere dicitis: serenum erit, rubicundum est enim caelum.

Petes 1. Quomodo aquæ produxerunt pisces & aves? R. non produxerunt efficienter, sed materialiter, ministrando scilicet materiam omnipotenti Dei verbo.

ARTICULUS VI.

De opere quintæ diei.

Opus quintæ diei sic refert Moyses ibidem: Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatiles super terram sub firmamento caeli. Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum...

Pisces dicuntur reptiles, quia id omne dicitur reptile, quod caret pedibus, aut cui sunt tam breves, ut non sint, aut vix sint apti ad gressum: sicut ergo serpentes in terra supra pectus rependo moventur, ita pisces, qui carent pedibus, in aqua quasi rependo natant. Difficultas est, utrum non solum pisces, sed etiam aves sint productæ ex aqua? Alii negant, voluntque aves esse productas ex terra. Alii, & communis affirmant; utriusque in Scriptura fundati.

Primæ Sententiæ faver 1. Textus hebraicus, in quo volatile non est accusativus verbi producant, sed nominativus verbi volat; sic enim habet: Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile volat super terram. 2. Favet cap. 2. Genes. ubi aves dicuntur formate ex terra his verbis: Formatis igitur Dominus de humo cunctis animalibus terræ, et universis volatilibus caeli. (quest. 71. artic. unico.) Secundæ autem Sententiæ, quæ est. SS. Hieronymi, Cyrilli, Ambrosii, Damasceni, S. Thom. & plurimum aliorum, faver 1. Textus Vulgatæ relatus in capite articuli. 1. Paraphrasis Chaldaica; Versio Septuaginta, quæ sic habet: Producant aquæ reptilia animalium viventium & volatilia volantia, seu quæ volant, aut volare apta sunt super terram. Favet etiam hujus Sententiæ affinitas, quæ est inter pisces & aves. Et 1. Quantum ad locum naturalem utriusque, aerem scilicet & aquam, sunt enim elementa vicina & cognata, utrumque est diaphanum, humidum, molle, subtile, agitabile, facile cedens, & in invicem transmutabile; aer enim faciliè aquam, & aqua in aerem vertitur. 2. Corpora avium & piscium sunt etiam affinia quoad agilitatem & levitatem, alæ avium cor-

respondent pinnis piscium, & plumæ avium squamis piscium. 3. Quâlis est natus piscium in aqua, talis est volatus avium in aère, ita ut pisces videantur aves aquatiles, & aves pisces aerei. 4. Denique multæ aves sunt aquatiles, ut Cigni, Anseres, Anates, Merguli, Halcyones, &c.

Ad primum fundamentum 1. Sententiæ respondetur 1. in textu Hebraico posse subaudiri pronomen quod, ut frequens est in hebraeo, ita ut sensus sit: & volatile, quod volat super terram, ut vertunt Septuaginta. 2. Vulgata, quæ ab Ecclesia declarata est authentica, præferenda est textui hebraico. Ad 2. respondetur ex Aug. l. 9. de Genes. ad Litt. c. 1. vel copulam Et non afficere hoc totum formatis de humo, sed priorem tantum vocem formatis, ita ut sensus sit: formatis igitur ex humo cunctis animalibus terræ, ac etiam formatis volatilibus caeli: Vel Moysen humum appellasse terram aquosam, seu aquæ mixtam. Verum hæc ultima Solutio non videtur coherere cum his, quæ docet Auctor hic, nimirum pisces productos esse ex aqua densiore, aves ex subtiliore, quales sunt vapores in aère?

Petes 1. Quomodo aquæ produxerunt pisces & aves? R. non produxerunt efficienter, sed materialiter, ministrando scilicet materiam omnipotenti Dei verbo.

Petes 2. Quid intelligitur per cete grandia? (Ibid. ad 4.) R. non intelligi unam speciem piscium, sed omne genus piscium magnorum, cujuscunque speciei; vox enim hebræa significat Dracones, & omnia grandia animalia: facta est autem mentio specialiter magnorum piscium; & non magnorum aliorum animalium; quia inter alia animalia nulla sunt tam prodigiosæ magnitudinis quam inter pisces: refert enim Plinius l. 3. Hist. c. 1. cetos 600. pedum longitudinis & 300. latitudinis intrasse flumen Arabiæ. Nihil autem simile videtur in aliis animalibus.

ARTICULUS VII.

De opere sextæ diei.

Opus sextæ diei sic exponitur ibidem: Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum masculum, et feminam creavit eos. Viditque Deus cuncta que fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.

Recensentur hic tria genera animalium præter hominem, jumenta, bestia, & reptilia. Per jumenta intelliguntur animalia domestica, ut equi, boves, canes, oves, &c. Per bestias intelliguntur animalia sylvestria, ut leones, ursi, lupi, cervi, &c. Per reptilia intelliguntur, quæ carent pedibus, aut tam breves habent, ut vix eleventur a terra, ut serpentes, vermes, lacertæ, &c.

Petes, utrum omnes omnino animalium terrestrium species sint hæc sexta die productæ. R. omnes species animalium perfectas, quæ scilicet naturaliter produci possunt ex commixtione maris & formæ ejusdem speciei, fuisse hæc 6. die productas. Ita communitè; idque videbatur exigere perfectio Universi; (Q. 72. artic. unico et q. 69. artic. 1. ad 2.) consequenter etiam eas species animalium, quæ nunc sunt homini vel veneno vel voracitate nocivæ. Constat enim ex c. 2. Gen. serpentem tunc fuisse productum. Adde, hæc animalia pertinere ad perfectionem Universi, tum propter varietatem, tum propter varias utilitates. Attamen tunc non nocuissent homini, si non peccasset, nec se invicem, Deo sic disponente, devorassent, donec esset sufficienter propagata species.

Quantum ad minuta animalia seu insecta, quæ nascuntur ex sudore, putrefactione, exhalatione per virtutem syderum, vel elementis inditam, ut sunt pulices, pediculi, &c. distinguit S. Thom. (Hic ibid. ad 5.) Quæ nascuntur ex vitio, seu corruptione aliorum animalium, negat fuisse actu producta 6. die, sed potentialiter tantum, quæ verò nascuntur ex corruptione rerum ignobiliorum, ut aquæ, terræ, ligni, plantarum, concedit ea fuisse actu producta sexta die; quia, inquit, quod ex corruptione ignobiliorum generatur nobiliora, non repugnat primæ rerum institutioni; sicut repugnet, si ex corruptione nobiliorum generetur ignobiliora. (Q. 73. artic. 1. ad 3.) Quantum denique ad animalia, quæ nascuntur ex congressu animalium diversæ speciei, ut mulus ex æqua & asino, leopardus ex læna & pardo, negat fuisse actu producta 6. die, sed potentialiter tantum, quatenus data est virtus aliis animalibus illa producendi; quia talis commixtio est præter naturam. Unde Judæus fuit prohibita Levit. 9.

Ex

Ex dictis colliges quantum a veritate aberrant Cartesiani, qui brutis denegant animam sentientem, & volunt ea esse meras machinas. Non enim solum in textu laudato, sed in pluribus aliis formalisimè assertitur bruta vivere. Sic in eodem c. 1. Genes. v. 29. & 30. conceduntur brutis sicut hominibus herbe, & arborum fructus ad vescendum: Ecce, inquit Deus, dedi vobis omnem herbam, & omnia ligna... ut sint vobis in escam, & cunctis animalibus terræ, omnique volucris caeli, & universis quæ moventur in terra, in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Numquid puræ machinæ comedunt, vescuntur, nutriuntur, sicut homines? Et c. 9. ejusdem libri: Ecce, inquit Deus, ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucris, quam in jumentis, & pecudibus terræ cunctis... Et nequaquam ultra interficietis omnem carnem aquivivam. Quomodo autem interficere possit, quod non verè vivit? Et eodem modo loquitur Deus de interfectione bestiarum ac de interfectione hominis. Vivunt ergo bestia, sicut vivit homo. Lege reliquum cap. 9. in quo sæpe repetitur bruta vivere.

Equidem scio, Scripturam aliquando loqui ad sensum vulgi imperiti. Verum non licet ad hanc solutionem confugere, relicto sensu literali, & obvio, nisi cogente aliqua evidenti ratione, quæ hic non subsistit. Non enim negari potest esse possibilem substantiam, non extensam in partes, quæ sit capax solius sensationis, & directæ cognitionis sensibilium; in hoc enim nulla involvitur implicatio: hæc autem substantia non foret spiritus, quia esset irrationalis; neque materia, aut corpus, quia non esset extensa in partes, in qua tamen extensione Cartesiani reponunt essentiam materię, & corporis; sed foret media inter spiritum, & materiam, & cum esset ordinata ad constitutionem, & conservationem corporis, posset, & deberet dici hæc ratione forma substantialis materialis: in his, inquam, nulla est implicatio. Cum ergo sit possibilis anima sentiens, & Scriptura tot in locis tam luculentè asserat eam brutis inesse; quæ

fide; qua fronte id negare audent Cartesiani, & sensu Scripturæ naturali, & obvio relicto, nulla cogente ratione, confugiunt ad improprium, secundum, inquit, opinionem Vulgæ imperiti: quasi verò solum vulgus imperitum, & non doctissimi quique, atque universum genus humanum non semper cœcississet bruta verè vivere atque sentire: Irrationalia quoque animalia, inquit Aug. de vera Relig. c. 29. vivere atque sentire, nemo ambigit.

Confir. 1. Scriptura & SS. Patres passim docent, hominem convenire cum brutis in vita sensitiva, & passionibus; unde patrem illam animæ, quæ sensu, & passionibus viget, animalentem vocant; & homines; qui sensum, & passionem sequuntur, neglecta ratione, animales, & pecudibus similes: Homo, inquit Psalmista, cum in honore esset, non intellexit, comparationem est jumentis insipientibus, & similibus factus est illis. It. 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. Ergo, sicut homo, sic bruta vivunt vita sensitiva. Confir. 2. Non sunt majora indicia animæ rationalis in hominibus, quam animæ sensitivæ in brutis; ergo, si his non obstantibus possum dicere bruta esse meras machinas, eadem ratione, seclusa revelatione, poterò reputare omnes homines a me distinctos puras machinas; quod quam sit absurdum, nemo non videt.

Quapropter, attenta suavi Dei providentiæ, veracitate, & bonitate, existimo non esse possibilem machinam, quæ absque anima sensitiva omnia, & eo modo peragat, quæ & quo modo peragit brutum tam ad conservationem propriam, quam ad conservationem, & propagationem speciei generando sibi simile; hoc enim esset nos inducere in errorem, seclusa revelatione, irreparabilem; quod repugnat suavi Dei providentiæ, veracitati, & bonitati. Plura de his ad Philosophos.

De homine autem, qui, quia est totius creaturæ corporeæ finis, & Dominus, ultimo productus est, & de quo multa sunt dicenda, sit

DISSERTATIO III.

DE HOMINE QUANTUM AD ANIMAM.

ARTICULUS I.

Utrum anima hominis sit materialis, seu corporea, an spiritalis?

Uldam antiqui Philosophi posuerunt, animam esse corpus (Hic q. 73. artic. 1. o.) quia, non valentes transire imaginem, quæ solum circa corpora versatur, existimabant id, quod non est corpus, esse nihil. In hunc errorem impiegit Tertullianus factus Montanista, quem impugnat Aug. in pluribus locis. Inter incredulos hujus temporis, vulgo Deistas, sunt qui, ut sibi viam parent ad animæ immortalitatem, contendunt eam esse materialem, unde dicit Materialistæ; contra quos omnes hic decertamus.

Supplicio, animam rationalem esse formam substantialem hominis constitutivam cum corpore. Ita definit Concilium Viennense Clement. unica, de summ. Trinit. §. Porro, his verbis, Doctrinam, seu positionem asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia anime rationalis, seu intellectivæ verè, & per se humani corporis non sit forma, ut errantem, & vertentem Catholicæ inimicam predicto approbante Concilio damnamus. Patet insuper ratione; quia homo est animal rationale; quatenus animal, cum sit sensitivum, debet habere corpus; quatenus rationale debet habere principium ratiotinandi, quod neque est corpus; alias omnia corpora essent rationalia, neque alia forma, quam rationalis.

Porro definitur anima rationalis: Primum principium ratiotinandi. Vel: Actus primus corporis organici, potentiam, & vitam habentis.

Nota, spiritum triplici modo sumi posse. 1. Sumitur, proit opponitur solidiori materie; quo sensu purior sanguis dicitur spiritus, aut vitæ, aut animalis. 2. Sumitur pro anima sive sensitiva, sive rationali; quo sensu Eccl. 3. dicitur: Quis movit si spiritus filiorum Adam ascendat, sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum. 3. Sumitur pro substantia immateriali, & incorporea; & hoc sensu questio hic movetur de anima rationali. Pro cujus resolutione

Dico: (Ibid. & artic. 2. a.) Anima rationalis non est materialis, seu corporea, sed est entitativè spiritalis. Prob. 1. ex Scriptura. Psal. 30. In manus suas commendo spiritum meum. Eccl. ultimo: Revertatur gubius in terram suam unde erat, & Theol. Billuart. Pars Prima.

Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. 1. Cor. 2. Quis enim hominum scit, quæ sint hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Itæ & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

Si dicas, in Scripturis etiam animam brutorum vocari spiritum, ut patet ex Notamine. R. idem equidem esse vocabulum, sed sensum diversum, ut colligitur ex circumstantiis: anima enim hominis dicitur spiritus pro oppositionem ad corpus Eccl. ultimo cit. Spiritui autem jumentorum tribuitur tantum, quod est corporeum, scilicet descendere deorsum. Quibus patet, spiritum in homine sumi propriè pro substantia spirituali incorporea; in brutis autem pro corpore vivente.

Prob. 2. ex definitionibus Ecclesiæ. In 6. Synodo Generali Act. 11. Christus dicitur habere animam rationalem, & incorpoream; ejusdem autem naturæ fuit anima Christi, ac nostra. Item Concilium Generale Later. sub Innocentio III. refertur c. Firmiter de summ. Trin. definit, Deum ex nihilo utramque condidisse creaturam spirituales, & corpoream, angelicam scilicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore, & spiritu constantem: ergo anima est entitativè spiritalis, & non corpus.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Aug. Ep. 28. & 157. l. 1. h. 80. l. 1. contr. Ep. fundam. c. 16. l. 4. de anima c. 12. & sequentibus, & alibi asserit, & probat, animam rationalem non esse corpus, sed spiritum. Idem S. Basil. hom. 3. in illud dicitur: Attende tibi ipsi. Ambros. l. de Noë, & Arca c. 25. S. Bern. serm. 40. in cant. & alii PP. communitè.

Si quidam fortè opponantur, qui videntur dixisse animam esse corpus, exponendi sunt, sicut Aug. har. 86. exponit Tertullianum dicentem Deum esse corpus, de corpore inappropriè sumpto pro omni eo, quod naturaliter subsistit, & opponitur nihilo, non verò de corpore propriè sumpto pro mole extensa in partes, & opponitur substantiæ immateriali. Vel eis opponatur communissima aliorum Patrum Sententia.

Prob. 4. ratio. Principium operationis spiritualis est spirituale, non materiale, aut corporeum; atqui anima rationalis est principium operationis spiritualis: ergo. Maj. est certum totum enura, quod habet operatio, habet a suo principio. Prob. Min. Anima est principium cogitationis, intellectus, volitionis, odii, amoris, desiderii, spei, &c. Item reflexionis super has suas operationes; atqui istæ operationes sunt spirituales, non materiales: ergo. Prob. Min. dupliciter: 1. si istæ operationes

SS 2

es-